



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De iis qui eodem tempore marterium subierunt. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



EVSEBII HISTORIAE

Cuius iussu in singulis vrbibus, locisque hæc scripta divulgantur.

De iis qui eodem tempore martirium subierunt.

CAP. V.

*Quantum  
hii mar-  
tyres an-  
tea in o-  
ctavo li-  
bro ab Eu-  
sebio in-  
ter reli-  
quos mar-  
tyres mu-  
ne rati  
sunt pro-  
pterea  
quod ei  
eant pro-  
posita in  
eo libro  
omnia  
martyria  
recensere  
tamẽ in-  
telligẽdũ  
est eos  
sub Iouio  
Maximi-  
no mortẽ  
oppeti-  
uisse.*

**V**erum dux iste non longo temporis interuallo interposito, sibi ipsi manus graues inferens, debitum suæ improbitatis supplicium luit. In nos autem denovo exilia, crudeles persecutiones commonentur acerbipræfectorũ singulas prouincias obtinentium, contra nos tumultus rursus cientur, vsque adeo vti nonnulli ex his, qui in verbi dei propagatione multum pollebant, ex improuiso comprehensi, sententiam mortis ineuitabilem exciperent. Quorum tres, qui se christianos libere confitebantur Emisæ vrbis Phœnicia, bestiis membratim discerpandos obiiciunt. Quorum vnus Siluanus episcopus, ætate planè grandis & prouectus, qui ecclesiæ ministerium non minus quadraginta annis obiisset. Per idem tempus Petrus qui ecclesiæ Alexandria maxima cum dignitate præfuerat, quiq̃ præter cæteros sanctos & diuinos episcopos, cum virtutis causa, quæ in eius vita elucebat, tum studii & vigiliarum, quas in sacras literas contulerat, prope miraculum extitit, nulla de causa culpante, cum minime expectabat arreptus subito, ita vt erat, ex Maximini mandato iniuste capite plectitur. Aliq̃ complures qui in Aegypto erant episcopi, idem cum illo supplicii genus perpepsi sunt. Lucianus item ecclesiæ Antiochenæ presbyter, vir cum aliis rebus omnibus facile primus, tum continentia eximius, tum in sacris disciplinis diu multumq̃ exercitatus, ad ciuitatem Nicomedensium, in qua tum imperator commoratus est, deductus, cum coram vrbis præfesto Apologiam pro Christi doctrina, cuius patrocinium susceperat, recitasset, in carcerem coniectus est, ibiq̃ trucidatus. Tot mala & tam graua, breui temporis spacio, à Maximino virtutis & honestatis aduersario, contra nos comparata erant, adeo vt hæc posterior persecutio id tempo-



temporis excitata multo acerbior, quam prior nobis videretur.

*De edicto contra nos columnis affixo.*

*CAP. VI.*

**I**N mediis porro ciuitatibus (quod nunquam alias contigerat) cum vrbs cuiusque contra nos decreta, tum ipsius imperatoris præterea rescripta in columellas æneas incisa eriguntur. Pueri quoque in ludis literariis, Iosum & Pilatum, commentariosq; ad Christi contumeliã confictos, in ore & sermone quotidie habuerunt. Atque hoc loco mihi necessarium videtur, illud ipsum Maximini rescriptum in columellis æneis palam propositum citare, quò pariter & insolens ac superba, viri impietatis odiiq; in deum peruicacia & diuina vltio quæ eum breui post infectabatur, quæque ob nequitia odium, quo tenetur ad impios puniendos, assidue & vigilanter incumbit, manifesto appareat: qua quidem impulsus, non longo tempore post contraria de nobis consilia iniit, & legibus scriptis sancit eadem stabiliuitque. Sed primum rescriptum totidem verbis explicatum, ad hunc modum se habet.

*Exemplar rescripti Maximini ad ciuitatum decreta contra nos sancita respondentis, ex columna ænea Tyri desumpti.*

Quoniam omnis erroris caligo, & tanquam nebula (quæ quidem antehac hominum non tam impietate imbutorum, quam inscitia misere cæcutientium, sensus perniciosis ignorationis tenebris inuolutos obsederit) penitus discussa est & dissipata, imbecilla humanæ mentis vis iam tandem facile perspicere potest, se benigna deorum immortalium prouidentia solum & gubernatam esse & corroboratam. Atque res est dictu prope incredibilis, quàm gratum quam iucundum & acceptum nobis fuerit, quod tam insigne & clarum vestri pii erga deos instituti specimen edideritis: qui etiam ante hoc tempus nemini obscurum erat, qua obseruantia, quo cultu erga deos immortales vti consueueritis, quibus vestra fides

non